

Jupiter creatus est in Sagittarii quinta parte, remotus a Sole cxx partibus.

Venus creata in decima quarta parte Libræ, remota a Sole lxx partibus.

Saturnus creatus est in Capricorni decima quinta parte, remotus a Sole centum et quinquaginta partibus. Et hæc sententia universorum Ægyptiorum, Israelitæ vero et Chaldæi alio modo sentiunt. Dicunt quidem Solem in prima parte Arietis creatum, Saturnum in prima parte Capricorni, remotum a Sole nonaginta partibus. Jovem in prima parte Sagittarii, remotum a Sole centum et viginti partibus. Martem in prima parte Scorpium, remotum a Sole centum et quinquaginta partibus. Venerem in prima parte Tauri, remotam a Sole triginta partibus.

Summa quidem absidis Saturni est in Libræ, Jovis in Cancro, Martis in Capricorno, Solis in Ariete, Veneris in Piscibus, Mercurii in Virgine, Lunæ in Tauro. Sol in Ariete erigitur, in Libræ subvertitur. Saturnus in Libræ erigitur, in Ariete subvertitur. Mercurius in Virgine erectus, subvertitur in Piscibus. Venus in Piscibus erecta, in Virgine est subversa. Mars erectus in Capricorno, subvertitur in Cancro. Jupiter erectus in Cancro, subvertitur in Capricorno. Luna in Tauro erigitur, in Scorpione subvertitur. Sol præsidet calori, Mercurius siccitati, Jupiter ventis, Venus imbribus, Luna frigoribus. Saturnus potior frigiditate, Mars calore nimio solis. Sol calidæ naturæ, coloris aurei. Luna frigide naturæ, coloris argentei. Jupiter frigide naturæ, co-

loris electri. Mars calidæ naturæ, coloris ærei. Venus naturæ tepidæ, coloris stannei. Mercurius naturæ siccæ, coloris plumbei. Saturnus naturæ frigide, coloris ferrei.

De ortu et occasu duodecim signorum.

Temporum quibus duodecim signa oriuntur aut occidunt habenda est distantia. Nam quæ oblique oriuntur, et recta occidunt, celeriores ortus habent quam occasus; contra, quæ recta oriuntur, et obliqua occidunt, tardius oriuntur, et celerius occidunt. Cancer, qui recte oritur inclinaturque, mersatur, oritur duabus horis et duodecima parte horæ; occidit autem hora ac deinceps horæ. Leo oritur duabus horis et tertia parte horæ; occidit autem hora semis, et sexta parte horæ. Virgo oritur duabus horis et dimidia, et sexta parte horæ; similiterque Libræ, occiditque hora et tertia parte horæ. Scorpium oritur duabus horis et tertia parte horæ. Sagittarius oritur horis duabus et duodecima parte horæ; occidit autem hora ac deinceps horæ. At contra, quæ oblique oriuntur, et recta occidunt, breviores ortus occupant quam occasus. Denique ex his est signum Capricorni, quod oritur hora et deinceps horæ, occidit duabus horis et duodecima parte horæ. Deinde, quod sequitur unumquodque ex oppositis habet in occasu.

Hæc habent ista. Aries cum Libræ, in ortu et occasu concordat.

Taurus et Scorpium, Gemini et Sagittarius, Cancer et Capricornus, Aquarius et Leo, Pisces et Virgo.

DE SIGNIS COELI.

Helice, id est, Arcturus major, habet in capite stellas obscuras septem, in singulis auribus singulas, super pectus 4, in spatula 1, in pede 1, in dorso 1, in tibia anteriore 2, super eandem 3; sunt omnes 18. Cynosura, sive Phoenix, qui et Arcturus minor, et a quibusdam canis cauda vocatur, habet autem per unumquemque angulum in humero splendidam 1, in cauda 3. Sunt autem inter ambos Arctos stellæ 24. Supersunt autem aliæ stellæ 10, quæ præcedunt, et dicuntur Ludentes; et minima una, quæ vocatur Polus, ubi dicunt totum mundum revolvi. Draco, qui continet utrosque Arcturos, Helicis supervolvit caput, Phœnicis circumcingit caudam. Habet autem in capite stellas splendidas 3, et per totum corpus 12, ab invicem distantes; sunt omnes 15.

Hercules, qui stans genu flectit, habet autem in capite stellam unam, in utroque humero splendidam 1, in cito sinistro 1, in dextra coxa 2, in genu dextro 1, in eadem tibia 1, in dextra manu 1, et in ropulo quem tenet eadem manu 1, in sinistro genu in 1, eadem tibia 1; sunt omnes duodecim.

Corona vero habet stellas novem in circuitu positas, sed ex ipsis sunt tres splendidiore ad caput Serpenti Arcti.

Serpentarius, qui et Asclepius vocatur, stans vero supra Scorpionem tenet serpentem in manibus. Habet autem in capite stellam splendidam 1, in sinistra manu 3, in dextra 4, in utroque humero 1 splendidam. In utrisque lumbis 1, in utroque genu 1, in dextra tibia 1, in utroque pede 1; sunt omnes 17. Serpens quem tenet in manibus habet stellas in capite 2, per reliquum corpus 4; sunt iasimul 23.

Scorpium habet stellas in utrisque labiis 2. Quantum priores sunt magnæ, secundæ obscuræ. In fronte vero 3, media autem ex ipsis splendidior est cæteris. In spina splendidas 3, in ventre 2, in cauda 5, super aculeum 2; sunt omnes 19.

Arcas, qui et Botes, custos plaustrum fertur esse. Habet autem stellas in dextera manu, quæ non occidunt, quatuor; in capite splendidam unam, in utroque humero unam, in utroque cubito quatuor, in sinistro unam, in utro-

que genu 1; sunt omnes 16.

Virgo, quæ et Justitia appellatur, habet stellam in capite obscuram valde unam, in unaquaque ala duas, in singulis humeris singulas, in unoquoque cubito unam, in singulis manibus singulas, in penula vestimenti sex, in unoquoque pede unam.

Ex Geminis prior qui excedit ex Cancro, habet stellam in capite splendidam unam, in utroque humero splendidam unam; sunt omnes 5. Alter vero habet in capite stellam splendidam, in humero sinistro unam, per singula femora unam, in dorso tres; sunt omnes 7. Inter utrosque vero duodecim.

Cancer habet stellas splendidas in testa 4, in dextris pedibus per singulos unam, in sinistro primo 2, et in sinistro tertio 1, in quarto 1, in ore unam, in dextro labio 3, in sinistro duas; sunt omnes 18.

Leo habet stellas in capite 3, in cervice 2, in pectore unam, in dorso tres, in summitate caudæ splendidam 1, sub pectore 2, in anteriori pede splendidam 1; sunt omnes 15.

Agitator habet stellam in capite 1, in utroque humero 1, sed ea est clarior, quæ in sinistro humero est. In utroque cubito 1, in dextera manu 1, in summitate manus sinistrae 2, et super ipso brachio edulos 2, et in utroque edulo stellam unam; sunt omnes 10.

Taurus habet stellas in utroque cornu 1, in fronte 2, per singulos oculos 1, in nare 1. Hæ autem stellæ Pleiades et Virgilæ, necnon et subculæ dicuntur; in utroque genu 1, in paleario 2, in collo 2, in dorso 3, ex quibus novissima splendida est; in ventre unam, in pectore unam; sunt omnes 18.

Cephæus habet in capite stellas splendidas 2, et in dextera manu splendidam 1, in utroque humero 1, in zona 3, in dextro latere ex transverso super illum 7, in sinistro genu 2, in summitate pedum quatuor; sunt omnes 21. Hic autem in Septentrionis incisione constituitur inter medium Septentrionalis circuli et æstivali solstitio.

Cassiopeia habet in capite stellam splendidam 1, in utroque humero splendidam 1, in dextra parte pectoris splendidam 1, in dextro cubito 1, in utrumque manuum summitate splendidam 1, in umbilico splendidam et magnam 1, in sinistro femore 2, in genu splendidam 1, et per singulos angulos in summitate sellulæ 1; sunt omnes 15.

Andromeda habet stellam splendidam in capite 1, in utroque humero 1, in cubito dextro 1, in sinistro 1, in summitate manus splendidam 1, in pedaliū summitate splendidas 2, in zona 5, super zonam 4, in unoquoque genu splendidam 1, in dextro pede 2, in sinistro unam; sunt omnes 21.

Equus, qui bellorum fons et Belloforens dicitur, habet stellas in rostro 2 obscuras, in capite splendidam 1, in maxilla 1, in utrisque auribus splendidam 1, in cervice 4, in humero 1, in pectore 1, in spina 4, in umbilico 1 nitidam, in utroque genu 1, per singulos ungues anteriores unam; sunt omnes 19.

Aries habet stellam in capite unam, in nare tres, in collo duas, in summitate anterioris pedis unam, in dorso quatuor, in cauda unam, in ventre tres, in lumbo unam, in summo pedis 1; sunt omnes 17.

Triangulus, qui jacet supra caput Arietis, habet stellas per singulos angulos 1 nitidam, ex quibus una est splendidior cæteris.

Piscis Aquilonius habet stellas 12, Australis 15. Linteum eorum in quo continentur habet stellas ad Aquilonem 3, ad occasum 3, ad orientem 3, in connexu 3; sunt omnes 39.

Perseus, qui fertur tenere caput Gorgonis, habet stellas in utroque humero splendidam 1, in summitate manus dextræ unam, in ejusdem cubito unam, in summitate manus sinistræ unam, in ventre unam, in dextro lumbo nitidam unam, in dextro femore splendidam unam, in utroque genu unam, in tibia 2. Gorgonius autem dicitur habere in capite stellam 1, et in crinibus 5; sunt omnes 16.

Lira habet stellas in utroque pectine 1, in singulis pedales 1, in modulo 1, in utroque humero 1, in jugo 1, in tympano splendidam atque candidam 1; sunt omnes 9.

Cignus habet stellam in capite splendidam 1, in collo splendidam 1, in dextra ala 5, unam nitidam, quæ est circa collum; in sinistra ala 5, in corpore unam, in genitali suo magnam 1; sunt omnes 14.

Aquarius habet stellas in capite 2 obscuras, in utroque humero splendidam 1, in summis manibus 1, per singulas mammillas 1, subtus mammillas ex utraque parte 1, in sinistro lumbo unam, in utroque genu 1, in dextra tibia 1, in singulis pedibus 1; sunt omnes 18. Effusio autem sit dextra lævaque, in qua 2 sunt splendidæ, cæteræ vero obscuræ.

Capricornus habet in utroque cornu stellas 2, in auribus splendidam 1, in capite 2, in collo splendidam 1, in pectore 2, in anteriori pede 1, in summitate ipsius pedis 1, in dorso 7, in ventre 5, in cauda 2; sunt omnes 26.

Sagittarius habet in capite stellas 2, in scapula unam nitidam, in dorso 3, in cauda 2, in anteriori genu 1, in utroque pede 1, in arcu 2, et in jaculo quatuor; una vero in summo, alia in medio obscura, et 2 in pennis jaculi, ex quibus clarior est una; sunt omnes 19.

Aquila habet in pede stellam 1, in medio corpore obscuram 1, in rostro superiori 1, in subteriori 1; sunt omnes 4.

Delphinus non multum supercurrit Capricorno, habet in ore stellam 1, in vertice 2, in ala secus ventrem 5, supra dorsum 1, in cauda 2; sunt omnes 9.

Orion, obliquus quidem Tauro, habet in capite stellas splendidas 3, ex quibus una est splendidior cæteris. In utroque humero splendidam unam, in cubito 1 obscuram, in summitate manus 1, in zona 3, in mantili 5 obscuras, in utroque genu 1, in utrisque pedibus 1; sunt omnes 17.

A Lepus habet stellas in utrisque auribus 1, in corpore 2, in dorso nitidam 1, in posterioribus pedibus per singulos 1; sunt omnes 7.

Canicula, quæ oritur post Orionem, habet stellam splendidam in lingua unam, quam Syrii canem vocant rutilantem multum, et per intervalla colores mutantem: habet in utroque humero obscuram 1, in pectore 2, in anteriori pede sinistro tres, in dextro unam, supra dorsum tres, in ventre tres, in sinistro lumbo unam, in posteriori sinistro pede unam; in summitate caudæ 1; sunt omnes 17.

Navis, quæ apud Argivos Argo vocatur, habet stellas in anteriori parte navis 4, et in puppi 4, in utroque humero 5, in velo 3, in costa 5; sunt omnes 24.

Cetus sub Ariete et Piscibus gradens, habet stellas in cauda 2 obscuras; a cauda usque ad gimum 6, in ventre 6; sunt omnes 14.

B Eurus, qui et Eridanus, et a quibusdam Nilus, qui et Geon, e meridianis partibus habens initium ad Orionis pedem tendens; subjacet ei stella quæ vocatur Canopus, quæ tangit splendens temonem. Navis spatium parvum patet, eo quod circa terram esse videtur: habet stellas in prima acie 3, in secunda 3, in tertia 3, usque ad novissima sex.

Piscis magnus et Auster dicitur, a Capricorno usque pisces ejus longitudo provolvitur, qui subjacet Aquario et suscipit ejus effusionem. Habet stellas 12, ex quibus esse fertur sub pedibus Aquarii, et tres in branciis ejus: ipsæ autem clariores cæteris esse noscuntur.

Sacrarium, quod et Fanum accipitur, hoc signum sequitur caudam magni Scorpii, circumdat Septentrionem et quædam pars obtusior Arcturi, quædam autem cito sub Vespere deficit. Habet autem stellas super craticulam 2, in vasile 2; sunt omnes 4.

C Centaurus fertur habere bestiam in manu juxta Sacrarium, in quo videtur offerre. Habet stellas in capite obscuras 3, in utroque humero splendidam 1, in sinistro cubito unam, in summa manu 1, in medio pectore 1, in spina 2, in ventre splendidas 2, in lumbo splendidam 1, in cauda 5, in utrisque gembus re-torsis 2, in utroque armo 1, in utroque pede anteriori 1; sunt omnes 24. Ferunt tenere, sicut superius significavimus, in sinistro manu arma et leporem, in dextra vero bestiam, et a quibusdam hydriam aceti, quæ habet stellas in cauda duas, in summo pede anteriore nitidam unam, et in spina nitidam unam, et in anteriore pede splendidam unam, et subter ipsum pedem unam, in capite tres; sunt omnes novem, in totum vero 35.

Serpens, super cujus caudam corvum sedere didant, et in medio urnam asserunt. Ferunt enim, quod caput summitatis Cancro, et caudam ad Centaurum tendat, qui habet stellas 3, in cervice 1, in pectore 1, in ventre 1.

D Corvus vero habet stellas tres, in rostro unam, in ala 1, in genitali unam. Urna autem habet stellas tres obscuras in medio labiorum; sunt omnes 10. Sunt qui eam aliter pingunt, nempe serpentem supinum, urnam gestantem in dorso, et corvum caudam serpentis mordentem.

Anticanis dicitur sub Geminis bene parere, habet stellas tres, quarum una splendidior est cæteris; et ideo Anticanis vocatur, eo quod sit contrarius Cani.

Circulus quidem est in sideribus candido colore, quem lacteum esse nonnulli dixerunt. Eratosthenes autem Mercurio dicit infanti puero inscitam Junonem dedisse lac; sed postquam rescierit eum Maie filium esse, rejecisse eum a se. Ita lactis profusi splendorem inter sidera apparere. Alii dixerunt dormienti Junoni Herculem suppositum, et experrectam ei quod supra diximus fecisse. Alii autem Herculem propter nimiam aviditatem, multitudinem lactis appetisse, neque in ore continere potuisse: quod ex ore ejus profusum, circulum signasse. Alii dicunt

quo tempore Ops Saturno lapidem pro partu attulit, A jussisse ei lac præbere, quæ cum pressisset mam- mam, profuso lacte circum deformatam, quem supra demonstravimus. Hæc Hyginus.

In Sagitta, una est quartæ magnitudinis, tres quin- tæ, et una sextæ.

Sagitta inter duos circulos æstivum et æquinoctia- lem, signo Aquilæ superposita, dividitur ab eo cir-

culo, qui, utroque polo subjectus, ad Cancrum et Capricornum pervenit. Hujus cacumen ad equipedum regionem spectat, altera pars ad humeros Ophiuchi tendit. Hæc occidit Virginis ortu. Oritur autem cum Scorpione. Habet omnino stellas quatuor, quarum una in principio materiæ, altera in medio, duæ in loco quo ferrum solet afigi, diversæ videntur. Hæc Hyginus.

MENSIIUM NOTÆ.

1 JANUARIUS — Poto.



2 FEBRUARIUS. — Ligna crêmo.



3 MARTIUS. — De vite superflua demo.



4 APRILIS. — Do germen gratum.



5 MAIUS. — Mihi flos servit.



6 JÛNIUS. — Mihi pratum.



7 JULIUS. — Spicas declino.



8 AUGUSTUS. — Messes meto.



9 SEPTEMBER — Vina propino.



10 OCTOBER. — Semen humi jacto.





BEDÆ PRESBYTERI

PRONOSTICA TEMPORUM.

Si prima feria fuerint Kalend. Januarii, hiems bona erit, ver ventuosum, æstas sicca, vindemia bona, boves crescent, mel abundabit, vetulæ morientur, abundantia et pax erit.

Si secunda feria, hiems mista erit, ver bonum, æstas sicca, et ventuosa tempestas, et vindemia non bona, et valetudo hominum, apes morientur, et prodigia quæ dabit hominibus Deus.

Si tertia feria, hiems umbrosa erit, ver tempestuosum, et ventuosum et pluviosum, æstas sicca, vindemia laborabit, et visa erit, et mulieres morientur, naves periclitabuntur, et reges peribunt.

Si quarta feria, hiems dura et aspera erit, ver malum et ventuosum, æstas bona, vindemia bona et laboriosa, et frumentum bonum, juvenes morientur, et qui navigabunt satis laborabunt.

Si quinta feria, hiems bona, ver ventuosum, æstas sicca, vindemia bona; abundantia erit, et principes sive reges peribunt.

Si sexta feria, hiems mutabilis, et ver bonum, æstas sicca et bona, dolor oculorum, vindemia bona, et copia magna erit, et oves peribunt.

Si septima feria, hiems turbulenta, ver ventuosum, et fructus laboriosus erit: oves peribunt, homines vetuli morientur, et casæ cremabuntur.

DE PRÆCOGNITIONE COPIÆ AUT PAUPERTATIS FUTURÆ.

Si quis est qui ignoret aut copiam aut paupertatem futuri anni, animadvertat in prima nocte mensis Januarii, qui caput probatur totius anni, et inspiciat primam horam primæ noctis ejusdem mensis; et sicut hora solis prævalebit, eodem anno siccitas in terra erit. At si est Veneris hora, regnabit eo anno magna hominum rixa, et mulierum pestilentia, et erunt sex menses pluvia temperati, et residui sex calidi. Quod si autem Mercurii hora primitus effulserit, erunt quatuor menses pluviales, sed Aprilis et Maius præcipue. Si autem surrexerit luna prima hora Januarii, et in capite Arietis, prævalebunt pluviae, et eradicabunt segetes pluviarum inundationes, et pluet sex mensibus, et bellorum erunt variae perturbationes, et vilescet mercatorum merces, et erit multa hominum strages. Quod si in ventre Arietis invenitur,

periclitabuntur nautæ, et præliabuntur in Occidente, Corduba præliabitur inter se, et lugebit sex menses. Quod si prima hora Januarii invenitur in capite Tauri, florebit segetes cum ubertate multa, et septem anni caristia carebit, et reges peribunt. Quod si in ventre Tauri prima nocte Januarii luna emicuerit, Orientalis plaga multa affligetur pluvia, et regum erit pestilentia. At si in cauda Tauri invenitur, erit annus mediocris. Si autem invenitur in capite Geminorum, regnabit Cordubensis pestilentia, et in Seraguga et cis citra. Quod si eadem nocte emicuerit in Geminorum cauda, erit fames in media terra, et principum ejus novem mensibus prævalebit persecutio pestifera. Si autem erit in capite Cancris, erant pluviae et segetes multæ. Et si erit in ventre vel cauda Cancris, erit annus pacificus cum ubertate magna sex annis. Quod si erit in Leone prima hora noctis Januarii, erit iudicum perturbatio, multiplicabitur latronum exaggeratio, annus mediocris. Si autem invenitur in ventre Leonis, erit mortalitas multa hominum. Si autem in cauda Leonis, quadrupedum et parvulorum mors eo anno regnabit, et pauperes ditabuntur. Cum autem in Virgine emicuerit, Corduba fame peribit. Si autem in fine Virginis, copia eodem anno frugum erit. At si in capite Libræ effulserit, paucitas denuo redibit. Cum autem in ventre Libræ, erit mutua regum perturbatio. Si autem in capite Scorpii prima nocte Januarii fuerit, multus tumultus hominum erit. Quod si in ventre Scorpii, xl diebus non cessabit pluvia. At si in cauda, erit omnium bonorum copia. Si vero in capite Sagittarii prima hora Januarii luna venerit, iterum perturbatio regum redibit, et ix annis fames prævalebit. Quod si in cauda Sagittarii effulserit, Christianorum maxime pestilentia regnabit, et Saracenorum terram fames videbit. Si autem in capite Capricorni, vel in cauda evenierit, fames erit in tota terra. At si in capite Aquarii, erit siccitas in Oriente; si est in ventre, erit persecutio gladii; si autem in cauda, erit perturbatio illius anni. Quod si in capite Piscium erit luna, prævalebit malitia. Si vero in cauda luna erit prima hora noctis in Kalendis Januarii, multi peribunt fame.

BEDÆ PRESBYTERI

LIBELLUS DE MENSURA HOROLOGII.

Si quem delectat horologium componere, sive metallinum, sive ligneum, quod ad instar perpendicularis videtur formari, præter quod illud rotundum est, istud vero sena latera habet, in quibus ordo horarum

totius anni binis mensibus insignitur. Longitudo namque quinque digitorum creditur sufficiens esse, plus minusve. Grossitudo quoque, si unumquodque latus sufficit ad gnomonem et inscriptionem Kalenda-